

BIBLIA
1710
1717





1. Crasm, Alberus vom winter
Voyel Halchen. 1552
2. Valent. Rothers grab für Thom.
1581
3. Sam: König passion, gedanken.
1707.
4. Fende, vortreffliche löbliche Almoosen.
1710
5. mißbrauch der Gastereien. 1713
6. M. J. F. S. z. Sola pietas. 1713
7. Joh: Ludw: thilo, gedanken:
ob die Töchter der triumphierenden
Prinzen, für die Wohlthat der
Pauken, bey dem ob Pöffen.
1714.
8. Andr. Wilh: Langen, anfangen,
Job armer augen. 1715

3

IDYLLION ÆTERNÆ

VITÆ.

CARMEN IN
QVO PVL CRA QVÆ

DAM IMAGO ÆTERNÆ VITÆ,
*ex verbo DEI, eiusq̄ clariss. testimonijs,
desumpta pingitur.*

VNA CVM HYMNO,
PIÆ PRECATIONES, ET GER-
MANICÆ CANTIONES
sunt additæ.

VALENTINO ROTHERO
*Blanckenburgensi, Pastore Ecclesie in
Quedlinburga ad D. Egid.
Autore.*

MAGDEBURGI
Apud Iohannem Francum.

M. D. LXXII.



UNIVERSITÄT
Herrn Johann Friedrich
M. D. LXXXII



CLARISS. D. IOA-
CHIMO VVALÆO LL.

DOCT. ILLUSTRISS. DUCVM
Iuniorum Saxo. consiliario in Vinaria. Et D. MELCHIO-
RI SIPTERODO in Sclanstedt. D. CHRISTO-
FERO SIPTERODO in Oschersleuen fratribus. D.
BARTHOLOMAEO SIGISMUNDO KROPPIO.
D. ALEXANDRO KROPPIO, in Groninga fratri-
bus. D. PETRO SICHLINGO, cuii Quedl. Com-
patri. D. ELIAE MEIERO, Reipub. Quedl. Syndico,
viris splendore generis, virtute, doctrina, sapientia
ornatis. affinibus & mecoenatibus
suis obseruandis. &
charis.

*Gratia Domini nostri Iesu Christi, & Dei chari-
tas, & sancti Spiritus communio, vobis adsit omnia-
bus. Amen.*

AMPLISSIMI VIRI DOMI-
ni & mecoenates prestantis. Affines charis.
Regius Prophetas David in 24. Psalmo ait:
Hac est generatio quarentium Deum, quaren-
tium faciem Iacob. Hoc versu pulcre describit
& depingit catum Ecclesie verae, eumq; discer-
nit ab omnibus fanaticis, impijs & idololatriis hominibus. Hi sunt
veri Christiani, qui ut & D. Petrus ait, Regenerati sunt in
spem vitam, per hoc, quod Christus resurrexit a mortuis, in ha-
reditatem immortalem & immarcescibilem. Tales homines, ita
regeniti, vere sunt generatio sancta, electa, regia sacerdotalis, &
ideo quærunt Deum, quærunt faciem Iacob, in hoc maximo &
summo studio sunt intenti, ut verum Deum agnoscant, eumq;
A 2 recte

rectè colant & inuocent: Utq; in eis verà agnitio Dei accendatur
& luceat, quarunt non nouas illuminationes Enthusiasticas,
sed faciem Iacob, scilicet Verbum Dei traditum ab ipso, per quod
verus Deus se sanctis patribus, Patriarchæ Iacobo & alijs olim
patefecit, & quod hodiè purè sonat in Ecclesijs. In hoc Verbo
monstratur & cernitur facies Iacob, ipse Christus cum suis bene-
ficijs reuelatur. Cum ita quarimus faciem Iacob, ipsius Christi
veri Dei, cum vero studio discimus verbum Dei, & illud ample-
ctimur vera fide, inuenimus summum bonum, inuenimus Chri-
stum, cum omnibus suis thesauris, inuenimus vitam aeternam.
Hæc tanta bona, in nobis accendere deberent studium diuini ver-
bi, quærendi faciem Iacob: sed tale studium in multis (proh do-
lor) hodiè friget, multi, etiamsi titulum & nomen Ecclesiæ ge-
rant, tamen non quarunt faciem Iacob, quarunt potius munda-
nas voluptates, opes, dignitates, glorias, quæ tamen sunt flosculo
florenti in agro persimiles, aut cucurbitæ Iona. Deploranda est
cacitas & peruersitas humanarum mentium, quæ immersæ ter-
reno in puluere ita quarunt terrestria bona, ut interim cælestia
negligant, & nihil solliciti sint de salute animarum, de aeterna
vita consequenda, de his tantis rebus, nullas, aut raras, aut lan-
guidas cogitationes habent. Fertur, in Gallia in publico theatro
festiuam aliquam comædiam actam fuisse, in ea Christus venit
in conuiuium splendidissimum, in quo conuiuatores fuere, Papa,
Casar, Reges, Principes & subditi nonnulli, primò Christus ac-
cessit Papam, Casarem, aliosq; proceres, & eis singulis optionem
liberam concessit, aliquid petendi a se: Papa, Casar, Principes
petiuerunt, ut quisq; pro se maiorem acciperet potentiam, glori-
am, voluptatem, pomæria cuiuslibet regni ampliarentur. Simi-
liter & Christus accessit subditos conuiuantes, dans eis etiam
liberam optionem petendi aliquid à se: Hi omnes vnanimiter
petiuerunt à Christo, dari sibi vitam aeternam. Papa, Casar,
Reges, Principes, &c. facta petitione, cæpere in conuiuio esse
mæsti,

mæsti, unus alterum nonihil toruè aspexit, ex quadam inuiden-
tia, quod inter eos alius alium cuperet excellere. At subditi,
facta petitione, hilariores se prabuerunt in conuiuio, quapro-
pter moti proceres, quasiuerunt ex subditis, cur tantopere ipse
letarentur, cum è contra proceres mæstiores essent, quasiuerunt
quidnam à Christo petierint, responderunt subditi, se petiisse vi-
tam aternam, & ideò se letari. Tunc proceres dixerunt, de illa
vita nulla nobis incidit cogitatio. Sic & hodie vsu venire solet,
ut multi etiam præstantes homines, parum aut nihil solliciti sint
de aterna vita consequenda: Talem supinam negligentiam, non
solùm deploremus, sed & ipsi vitemus & ex nostris animis, si
fortè insedit, excutiamus, ne querentes terram, terrena bona,
amittamus cælum, cœlestia bona, demus operam singuli, ut ater-
na apprehendamus, ut perpetuum habeamus πολιτεύμα in cælo,
perpetuò simus domestici Dei, manentes in domo aterni patris, in
qua multe mansiones, eaq; perpulcra sunt parata per Christū. Hic
sumus viatores, exules, aduenæ, hic vita fugax nimis est mul-
torum plena malorum, igitur ad aternam patriam properemus,
ad alteram vitam aternam, in qua nulla mors aut calamitas fu-
tura, summis votis aspiremus. Debemus potius semper in ore
& corde habere exemplo D. Pauli, diem illum aternæ vitæ, quam
in huius vitæ sordes demergi. Et quantas utilitates seu fructus
afferat, assidua & pia consideratio aternæ vitæ, quàm suaves &
multiplices consolationes pariat in his nostris miserijs, ipsi pi-
satis in se experientur, quò diligentius portum omnium malo-
rum, vitam aternam in conspectum sibi posuerint. Secumq; me-
ditabuntur futura vitæ statum, gloriam & læticiam. Ego, ut me
aliosq; exuscitarem ad tales pias meditationes, quibus ipsa pietas
alitur & conseruatur, composui versibus simplici studio, Idyllion
vitæ aternæ, & in eo præcipuas res breuiter sumcomplexus, quas
vir pius & benè meritus Ioannes Rosa, piæ memoriæ, Professor
Ihenensis, copiosius in oratione de vitæ aternæ, breui ante suum

obitum exposuit, in qua Oratione mera sunt Rosa odorem vitæ
spirantes. Hoc igitur Idyllion à me conscriptum, & alias vici-
nas materias, amplissimi Mecænates, & chariss. Affines, vobis
nunc dedico & offero, ut ex hoc scripto, meum erga vos cogno-
scatis animum, scio, vos summo & maximo studio querere De-
um, querere faciem Iacob, verbum Dei studiosè discere, & fide
constanti illud amplecti, & vos amare, vestraq; munificentia
honestæ studia, in quibus à iuventute singulari cum laude versati
estis, promovere. Eorum enim dignitatem, & quantum prosint
quantumq; ad conseruandam & propagandam veram religio-
nem, ac gubernandam rectè Rempublicam necessaria sint, probè
intelligitis. Iam meam qualemcunq; opellam, quam prestiti hoc
scripto, ut equi boniq; consulatis, & me, meamq; coniugem &
liberos vobis vniuersis & singulis commendatos habeatis, humi-
liter & obnixè rogo, certo certius vobis persuadentes, Deum
omnia vestra officia humanitatis & christiana dilectionis, lar-
gissimè recompensaturum, in hac & in altera vita, & me semper
gratum animum erga vos declaraturum. DEVS æternus pater
Domini nostri Iesu Christi, vos omnes diu & incolumes conser-
uet cum vestris familijs, chariss. coniugibus & liberis, & det vt
post hanc miseram & mortalem vitam, in qua mera est cala-
mitas, perpetuò cum ipso DEO viuatis, in perpetua laticia &
gloria, Amen. Valete in Christo felicissimè. Data Anno 81. die
10. Augusti, D. Laurentio sacro, qui suo constanti martyrio testa-
tus est, restare aliam meliorem vitam, cuius laticia pragustum
in se habuit.

V. Excellentijs addictiss.

Valentinus Rotherus Blanckenburgensis,
Pastor Ecclesie in Quedlinb.
ad D. Egidi.

IDYLLION ÆTERNÆ VITÆ.

Aspirante DEO tenui modulabor auena,
Æternæ vitæ, quæ, qualis, gloria quanta
Gaudia ibi fuerint, omni sine fine futura:
Quæ, quamuis nullo depingi carmine possint,
Non mihi si linguae centum sint, oraq; centum
Eloquio Angelico præstem, fastigia rerum
Tantarum, nunquam mortali hoc corpore clausus,
Non umbras saltem possum comprehendere versu,
Deficit ingenium, mens hac sub mole labascit.
Talia namq; pijs sunt gaudia in æthere parta,
Qualia nulla vnquam saltem eminus audijt auris,
Non homo corporeis vnquam conspexit ocellis,
Nec cor in humanum descendit, & illius vnquam
Gloria, quæ dabitur mundana vbi vita peracta.
Nil minus ipse tamen, cœlesti numine nixus,
Aggrediar quantum possum, non debeo quantum.
Tu mihi suppedita vires, qui verus Apollo es,
CHRISTE sacer sacro rege nunc mea pectora flatu.
Principiò referam qualem olim carmine vates
Gentiles pinxere statum superesse relictum,
Cum post mortalem vitam immortalis oriri
Cæperit, his castè vitam quicumq; per artes,
In mundo ingenuas coluere operamq; dedere

Iusticiæ

Iusticiæ sanctæ, quæ vitam examine recto
Dirigit ad leges, & turpia crimina punit.
Elysios campos & fortunata vireta
Commemorant, Zephyri iucundo vbi murmure spirant,
Ver vbi perpetuum, vernanti & flore comantes
Herbæ succrescunt, flores stant ordine picti,
Pæstano apparent gaudere rosaria cultu,
Narcissi violæq;, Hyacinthi, & lilia pulcra,
Hic florent nullis vnquam moritura diebus.
Non illic desunt Libanotis, odoraq; Laurus
Aut similes aliæ, nascuntur in arbore quauis
Iucundo aspectu, pascentia lumina poma.
Hic Chrysomela, illic granata allapsa leguntur,
Concentu hic resonant auium, virgulta, canoro.
Dumq; inter sese certant hæ carmine suavi,
Et sylvas resonare docent in vallibus Echo,
Vocales ipsæ respondent omnia sylvæ.
Lætus vbiq; nouæ naturæ vultus in orbe
Arridet, rident agri, campiq; virentes,
Hic longè vincunt viridaria Thessala tempe.
Hic fontes viui, viua scaturigine manant,
Per camposq; fluunt nitidi leni agmine riui,
Qui gemmas aurumq; vehunt, molliq; susurro
Inducunt somnos, hic propter flumina læta
Æquè mansuetæ pecudesq; feraq; vagantur,
Cum canibus timidæ veniunt ad pocula Dame.

Cum

Cum teneris agnis, ludunt per prata leones,
Delitiantur oues, carpentes pabula tuto.
Hic & apum resonant lepidis examina bombis.
Quercubus è sacris sudant flauentia mella.
Sponte sua tellus inarata, & nescia cultus,
Fert varias fruges, generosas gignit & vuas,
Nectar & ambrosiam potusq; cibosq; Deorum:
Vnde beatorum cœlestem membra vigorem
Accipiunt: morbus non illos vllus & vlla
Tarda senectâ premit, non morti vita seueræ
Præda fit, æternos traducunt molliter annos
Læticia perfusi hilares, sine fine beati,
Quorum animos, aures, & sermo & musica mulcent
Suauisonis numeris, sua dum conuiuia tractant
Forte sub arboribus, ramis præbentibus vmbra.
Estq; bonis licitum mensis accumbere diuum
Illorumq; habitare domos, & regia tecta,
Quæ clarè radiant flammanti extructa pyropo,
Templa, theatra, fora & magnarum strata viarum
Tota micant gemmis, argento auroq; nitenti,
Non hîc auditur cum planctu mœsta queræla,
Nulla sunt lacrymæ, non vlla & prælia surgunt.
Est ibi vera quies, nec non pax optima rerum,
Nulla diem obfuscant nubes, non aëra pestis
Inficit, hîc cœli est facies peramœna salubris,
Sic iater gentes, arte ingenioq; valentes,

B

Numinis

Numinis ignari veri, scripsere Poëta.
Nam natura hominum quæ ducit semina cælo,
Ex naturali rationis lumine quodam,
Agnoscit restare aliam post funera vitam,
Multa etiam gentes, sanctis à patribus olim
Tradita, ceu micæ legerunt, dicta, catelli.
Per campum Elysium paradisum significari
Quis dubitet? parua est harum mutatio vocum,
Æternam vitam paradisi nomine Christus
Ipse quoq; appellat, versans in agone supremo.
Non dubium est ideò, longè quod amœnior horto
Deliciarum omnis generis plenissimo in Eden,
Sit post mortalem vita illa æterna futura:
Sed non leticiam summam illa virentia tesqua
Præbebunt, ignara velut gens Ethnica sensit,
In multis errans, caruit quia lumine verbi,
Res sunt his certè meliores & grauiore,
Quas solùm ex sacra scriptura Ecclesia nouit:
Quæ perfecta dabunt Electis gaudia semper.
Nunc saltem memorare aliquot iuuat ordine partes
Æternæ & Messis quosdam numerare manipulos.

PRIMUM OBJECTVM

ÆTERNÆ VITÆ.

Æternæ vitæ cum leto illuxerit ortu,
Læta dies, & clara dies, optata frequenter

Tota

Tota Dei Electis essentia vera patebit.
Hi sine nube Deum, præclaro lumine amictum
Stipatum angelica, cum Maestate, caterua
Humanis oculis posita formidine cernent:
Quem tantum in terris uiderunt mente fideq̃.
Non uidisse semel sat erit, tunc vsq̃ morari
Obtutu hærentes vno, sine fine iuuabit:
Nam nihil hoc Domino quicquam est iucundius vsquam,
Et nihil hoc Domino est quicquam formosius vsquam.
Est fons vnde fluunt vita & sapientia summa,
Gaudiaq̃ æterna viua & scaturigine tanta,
Quæ plenè exhilarant animos & corda piorum,
Vt leta exultent, magno & rapiantur amore
Electi in Domini laudes, Pœana canentes,
In manibus palmas gestantes, vestibus albis
Ornati, viridi cincti sua tempora seruo.
Hi nullo somno, non vlllo tempore egebunt
Aut potu aut pastu, Deus omnia in omnibus vnus
Sufficiet, qui luce sua ceu nectare suavi
Potabit iustos, nec non saturabit abundè
Ipse suæ Ambrosia lucis, vultuq̃ sereno.
Ergo nec malesuada fames, neq̃ frigus & æstus,
Nudaquè paupertas poterunt vexare beatos.
Omnis causa boni Deus est, perfectus ab omni
Parte Deus, perfecta suis dat dona benignè,
Æternumq̃ dabit, stabit, sat firma manebit,

*Ipsius æternos ingens clementia in annos.
Cum Domino in cælo quis nollet viuere tali?*

SECUNDVM OBIECTVM.

ET quis læticias, sibi plures optet ibidem
Aspiciens Christi faciem, qui motus amore,
Humanam assumpsit sat miro fœdere massam.
Qui sese nostrum iucundo nomine fratrem
Appellat, nostri causa qui cæsus obiuit
Dum trabe suffixus feralis in arboris alta
Expansis manibus, ceu triste catharma pependit.
At nunc Victor ouans, deuicta morte triumphans,
Ad dextram patris residens super omnia regnat,
Cinctus regali diademate, clarus honore,
Cuius in æthereo resplendet glòria Olympo.
Quem casti genij superùm mirantur in aula,
Et cum læticia gaudent sine fine videre,
O quàm dulcis amor Christi, quàm gloria dulcis,
Cum Christo fuerit quàm conuersatio dulcis.
Herere amplexu Christi, Christi ora tueri,
(Qui verè blandus, mitis, mansuetus, amansq̃
Est nostri generis) poterit quid dulcius esse?

TERTIVM OBIECTVM.

Læticiarum ingens cumulus succrescet Iesus,
Quem decorat lepor & roseis affusa labellis
Gratia,

Gratia, ubi in dulces sermones ora resoluet.
Fratribus exponens proprij mysteria regni,
Cur sit factus homo, moriens cur victima factus.
Intentis animis, arrectisq; auribus omnes
Huic auscultabunt iusti, reuerenter honorem
Curuatis genibus, submisso & supplice vultu
Præbebunt illi: capientes gaudia magna,
Ex Christi verbis, Vincentibus omnia verba.
Sermones Christi prolati tam sapienter
Hi sunt cælestes faculæ, nam corda piorum
His accensa ardent, in eis dilectio flagrans
Exoritur, nec non quæ mulcet corda voluptas.
Ambo viatores vicinam Emaunta profecti
Discipuli ex Solyma (quibus interuenit Iesus
Cui facies forma peregrini tecta latebat)
Tales senserunt ex verbo in pectore motus,
Perciperent fontes scripturæ quando recludi.
Quanto plus ferient animos, & pectora fleclent,
Et maiora dabunt posthac incendia nobis
Christi sermones, æterna ubi fulserit Eos.
Sol velut auricomis radijs qui illuminat orbem,
Exhilarat mentes hominum, curisq; repulsis
Corda serena facit, dum clarè fulget Olympo:
Sic Sol iusticiæ dum sese in lumine claro
Ostendet Christus, scelerum iam nocte fugata,
Conspectu pulcro satis exhilarabit amicos,
Colloquio & suauis, cum totus abundet amore.

Q V A R T V M O B I E C T V M.

N Il nisi amor **DEVS** est, ideò omnem effundet amorem
 Numine de proprio, fundens spirabile numen
 Tunc super Electos, illorum pectora sacro
 Numinis afflatu complebit, spiritus eius
 Accipient decimas ipsi, nec vt antea tantum
 Primitias, agerent dum vitam in corpore mortis.
 Spiritus ille in eis habitabit lumine puro,
 Vt sint perfectè sancta, & purissima templa,
 In quibus eterno, lux talis fulgeat, æuo,
 Vera **DEI** agnitio, quæ sola scientia summa est,
 Et quæ iure potest ipsissima vita vocari.
 Ablata omnis erit dubitatio, cernere coram
 Omnia tunc dabitur, quæ saltem mentis ocellis
 Vidit in orbe pius, pulsa caligine quauis.
 Omnis cessabit metus, hinc trepidatio & omnis,
 Tunc omnes erimus verè omni ex parte beati,
 Omni imperfecto sublato, quæq; futura
 Perfectissima erunt, perfecta scientia sese
 Proferet in nobis, & perfectissima semper
 Læticia omnis erit, non parcè at largiter in nos
 Fusum oleum fuerit, quo letabuntur ouando
 Læticia immensa salientia pectora nostra.
 Hæc tunc & purè perfectè, ardentè amabunt
 Æternum Dominum, qui nos & cuncta creauit.

Per.

Perfectè in nobis pulchrè rutilabit Imago
Ad quam mirificè natura hæc condita nostra
Principio fuerat, quæ postea perdita lapsu.
Omnia restituet, sapienti ac arte refinget
Ore DEI afflatus cælestis spiritus, amplas
Qui conferre solet dotes, & dotibus illis
Ornare electos, pulcra ornamenta gerentes,
Vt patri, & nato, possint magis inde placere.

QVINTVM OBIECTVM.

COEtibus Angelicis, immixti suauiter hymnos
Suauifono cantu, Domino modulabimur omnes,
Cælesti resonante choro, citharæq; lyræq;
Pretereâ quæcunq; habet instrumenta sonora
Musica, tunc laudes pangent, nil triste sonabit,
Non cantabuntur lacrymoso carmina cantu,
Læta dabunt lætos sonitus ἐπιθήκεια, docto
Tunc deducta stylo, cantata & voce sonora
Tali forte modo: super hæc mirabitur æther,
Es solus sanctus, tu solus es vnus Ioua,
Solus es omnipotens, solusq; altissimus, alto
Altior ô cælo, tua quanta est gloria summo
Christe sedens solio, claro ceu sole corusco.
Quicumq; incolitis spaciosa palatia cæli,
Psallite carminibus iucundis, psallite sancti,
Psallite regnanti Christo super omnia Regi,

Collan.

Collaudate Deum cœli aurea templa colentem:
Nunc aptate tubas, leto clangore tubarum
Leti omnes efferte Dei, decora omnia laudum,
Tympana pulsa sonent, & suaue sonantia cymbala,
Atq; modos faciant impulse flamine cannae.
Quæuis sese audire sinat numerisq; sonisq;
Musica, nata Deum summum celebrare parentem,
Omnis in excelsis sit soli gloria Iouæ.
Sic chorus Angelicus, totus chorus ipse piorum
Cantabit laudes festiuo carmine, quali
Non sic Amphion, non Thracius Orpheus vsi.
Vtq; erit in pulcro tunc suauius Musica cœlo,
Sic quoq; suauius erit tunc conuersatio nobis
Cum castis genijs, qui nostri tot mala contra
Custodes vigiles multum totiesq; fuere,
Propter id officium grato tunc pectore grates
Dicemus memores, referent hinc ordine & ipsi,
Qualia pro nobis certamina magna subirint,
Squammigerum aduersus flammam flantem ore Draconem,
Qua ratione ipsi circa nos castra locarint.
Narrabuntq; vnâ pugnas, letosq; triumphos
Militiaq; graues hominum pro flore labores
Susceptos, Regis res gestas, fortia facta
Herois Christi, sublimi in sede sedentis.
Hunc vt adoremus reuerenti voce monebunt,
Exemploq; suo, plaudent rutilantibus alis,

Per

Per Christum æternæ socios nos esse salutis
Gaudebunt, similesq̄ sibi ferè ad omnia factos.
Nos manibus iunctos ducent ad flumina viua,
Monstrabuntq̄ noui nobis κερμελῆα Regni,
Præclaras tot opes, loca amœna nitentia gemmis,
Hinc augebuntur cœlesti gaudia honore,
Quæ peperit proprio merito, Rex Christus Iesus.

SEXTVM OBIECTVM.

Quando Dei in cœlis, οἰκῆοι ritè πολῖται
Facti erimus, qua nulla est vnquam gloria maior,
Sanctorum cœtum nos contemplabimur omnem,
Ignes æterni, clarissima lumina mundi,
Sydera nocte nitent veluti, fulgentibus annis
Et numero apparent exercitus aureus, ingens:
Sic sanctos Reges, Patriarchas atq̄ Prophetas,
Bis sex Legatos Christi, Testesq̄ fideles,
Et multos alios Doctores, dogmata pura
Qui sparsere, fidem in Christum ore & corde professos:
Martyras & sanctos aurata chlamide, claros
Veste immortalis, palmas manibusq̄ ferentes
Æterna viridi cinctos sua tempora Lauro
Cernere erit, nec non illos audire loquentes,
De quorum labris stillabunt dulcia verba,
Sicut suaue fauum redolens apiumq̄ thymumq̄,
Mira suæ nobis referent certamina vitæ,

C

Et bene



Et benefacta DEI quibus ornat mitis amicos,
Quorum res certè mirando cardine versat.
Historiam horrendi lapsus narrabit Adamus,
Cum cultorem ageret paradisi, in vere recenti
Orbis, & immensam bonitatem laudibus amplis
Efferet inde DEI, cuius bonitate receptus
Cumq; ipso coniunx quæ fregit ab arbore pulcrum
Eua interdicta commota cupidine pomum,
Cerulei insidijs malè circumuenta colubri.
Narrabit quali sese ratione, fideq;
Hortis expulsos sustentauère, videntes
Ante oculos chari iam cæsi vulnera Abelis.
Sic nos sermo patrum, ducet dulcedine captos,
Quos agnoscemus nunquam licet antea visos,
Colloquijs pulcris horum sine fine fruemur.
Tunc quoq; maiorum vultus ac ora videre
Nostrorum nobis fuerit iucunda voluptas.
Si quis in hac terra redeuntem agnoscit amicum
Quem peregrè absentem longo non tempore vidit,
Excipit amplectens, amplexus inter & ipsos
Cor latebras aperit, flammamq; effundit amoris,
Gestit id, exterius cuperet cupideq; salire,
Et dare se totum, charo quo gaudet amico,
At quanta in nobis existent gaudia summa?
Quando reuisemus cælesti in sede parentes,
Ex nobis natos, seraq; à stirpe nepotes

Geramnos

Germanos fratres , germanas atq̄ sorores,
Aut quos præterea virtus , communis & huius
Vitæ vsus nobis vnquam sociârat amicos.
Cumq̄ noua in patria scelerum expers vita futura,
Nemo illa vtetur tristi similiue queræla,
Æger, inops, iaceo charis desertus amicis.
Nulla ibi suspicio , fraus nulla , iniuria nulla
Regnabunt , non illic erit discordia , rixa.
Semper amicitia sanctissima fœdera iusti
Seruabunt, pacemq̄ colent erit omnibus vna
Mens ac vnus amor , studium vnum, ac vna voluptas,
Scilicet vt celebrent rectè & reuerenter Iouam,
Ante suum solium letanti carmine onantes.

SEPTIMUM OBJECTUM AE. V.

QVam Domino gratus , quàm terq̄ quaterq̄ beatus
Est populus, læto qui scit dare iubila plausu,
Vatis Iessæi pia psallit , psaltria Musa,
In Regno cœlorum animis DEVS omnia lætis
Vult opera impendi , sancto famulantia honori,
Fiat vt id melius , mens nulla labe laboret,
Conscia sit recti , sitq̄ intemerata necesse est.
Talis vbi mens est, habitant ibi gaudia vera,
Non secus ac si quis celebret conuiuia lauta
Magnificis dapibus , regali instructa paratu.
Nil conscire sibi , nulla palleſcere culpa,

Corda serena facit, parit altam in mente quietem,
Non metus ullus adest, etiamsi fractus hic orbis
Concidat in partes, magnoq; fragore labascat.
Ast ubi mens vitij polluta & turbida facta est,
Thesiphone insultat, toruos intentat & angues:
Non tunc coena sapit regali splendia luxu,
Nec fessa in mollem declinant lumina somnum
Mens strepitum ad folij volitantis ab arbore inhorret,
Carnificina mala est mala mens, vulturq; promethêi
Qui iecur assidue comedit, sine fine renascens,
Et talis vultur corrodens pectora vermis
Perpetuo iniustos stygij Plutonis in aula
Torquebit: Contra iusti sine vulture tali,
In caelo aeternos traducent suauiter annos.
Mens erit his hilaris, posito tranquilla timore
Pax etenim Domini, nihil est qua maius, in ipsis
Regnabit, placide componens pectore motus
Pax Domini reficit mentes, vt gramina campi
Ros matutinus, torrenti sole perusta
Rore refecta caput tollunt, rursusq; virere
Egregie incipiunt, tellurem & floribus ornant.

OCTAVVM OBIECTVM AE. V.

VTq; hyeme in tristi, cum clausa est frigore tellus,
Est sua mors herbis, glacie niuibusq; sepultis,
Floribus, arboribus, plantisq; ferè omnibus vna

Mors

Mors nocet, aduenit cum Brumæ cana senecta,
Omnis defluxit tenerorum gratia florum:
Vere autem redeunte redit tunc floribus ipsis
Gratia, vitali solis reuocata calore,
Arboribusq; comæ redeunt, reuirescit & ipsa
Tellus, quæ viridi fuerat spoliata decore.
Vita redit cunctis, Zephyris spirantibus herbis?
Sic illata cauis humana cadauera tumbis,
Vere nouo illa noui mundi tuba vbi vltima clanget,
Rursus flore bunt, somnoq; excita vige bunt,
Antea quæ fuerant testacea, ibi aurea fient
Corpora iustorum, Phæbæ lampadis instar
Fulgebunt, rutilas vincunt lumine stellas,
Nec scabiosa, feces nec habentia, nec malè sana.
Non tunc panis erunt corbes hæc corpora nostra,
Non dapibus, potu, somno, vlllo tempore egebunt.
Hæc agili motu sese super astra mouebunt,
Non ea, nec formæ fera Mors depascet honorem
Amplius, ornatu pulcro cui purpura Regum
Conferrî nequit in cocco bis tincta rubenti,
Ante thronum Domini pulchrè vestita nitescent.
Ob tam præstantem speciem sine fine, suorum
Membrorum capiet sancta admiratio sanctos.
Nam conformia erunt, generosis, luce Coruscis
Heröis Christi (cui magna est gloria) membris.
Stella velut stellam superat fulgore micante,

Corpora iustorum sua sic discrimina habebunt.
 Nil minus interea fuerit quodcunq; piorum
 Corpus, id illustri radiabit lumine lucens,
 Quam nitidis radijs Moysis de monte reuersi
 Fulgebat facies, facie inflammata tonantis.
 Isacide hanc nisi velatam potuere videre,
 Nos quoties claris nocturno tempore ocellis
 Aspiciamus claro fulgentia sidera Olympo,
 Incidat in mentem, quod nostra simillima stellis,
 Corpora post mortem sint vere aliquando futura.
 Flamma focus quae ligna vorat, fumosus hic ignis
 Splendorem spargens est quid collatus ad ipsum
 Luciferum, aut quae sera rubens est nuncia noctis
 Quam pulcre rutilo scintillulat axe supremo
 Stella Iouis? Paphiae Veneris quam pulcra relucet
 Os roseum ostendens? radijs Cyllenius alto
 Fulgurat in caelo quam blande? blandior ipse.
 Sic simili maiore etiam fulgore perenni
 Tempore, fulgebunt sanctorum corpora posthac.

NONVM OBIECTVM. AE. V.

HAs propter dotes, orientur gaudia magna,
 Quae non delebunt aetas, non inuida parca,
 Gaudia constantem tunc sunt habitura tenorem,
 Non ea turbabit mœror, non luctus & vllus,
 Non iterum poterunt dotes amittere lapsu

Electis

Electi quodam, velut olim primus Adamus,
Excidere & nunquam poterunt bonitate parentis
Æterni, æternum florebit gloria & ampla
Illius ἀφθάρτου, ἀμάρταντος, καὶ ἀμιάντου,
Perpetuūq; boni iuuat hæc verba ore referre,
Diui sacrato repleti numine, Petri.

DECIMUM OBJECTVM.

Hanc talem postquam iusti accepere coronam,
Illi immortales gratanti carmine grates
Semper agent Domino, læto Pæane triumphum
Semper agent Christo victori tale Poëma
Aut simile hi condent: virtute est militis huius
Heröis Christi mors victa absorptaq; planè,
Mors vbi habes arcus ferales atq; sagittas,
Estq; tuum nunc κέντρον vbi? quod miles habebas,
Corpora cæforum quo millia multa cadebant.
Nunquid id amissum? num fractum? quis tibi dentes
Excussit? læsit quis te? quis fortior Heros?
Te fuit? & tua sic vastauit pallida regna?
Quò tua nunc inferne abiit victoria? quoue
Flammeus immanis tibi cessit & halitus oris?
Gloria laus & honor patri Dominoq; Deoq;
Qui nos victores Sathanæ insatiabilis Orci
In Christo fecit, vires & robora donans.
Iusti ita gaudebunt æternæ in paschate vitæ

Et

Et magis gaudebunt, etiam tormenta malorum
Cernentes infra sese phlegetontis in undis
Et pice, sulphureis flammis ardentibus vri,
Qui sanctos ut oves mulctarunt morte tyrannos,
Ac alios fontes, qui non dum vita manebat
In Christi merito posuerunt spemque fidemque.
Qui non sunt veriti cumulando crimine crimen,
Omnia cernentes diuinos ledere vultus.
Nil ex supplicijs horum tunc corde doloris
Concipient iusti, sed iusti iudicis ipsi
Iusticiam sanctam laudabunt, & sibi plaudent,
Gaudentes tragicis poenis se vindice Christo
Ereptos, perque hunc incunda pace potitos.

V N D E C I M V M O B I E C T V M A E . V .

CH R I S T V S is est omnis iustorum causa salutis
Per Christum solum datur alti culmina caeli
Scandere credendo, credenti est scala Iacobi,
Quae terras humiles gradibus coniungit Olympo,
Sternit ad astra viam, via & ipsa & limina pandit.
Christus ut in caelo deuicta morte resurgens
Versatur, pulcris paradisi & regnat in oris:
Sic quoque vult secum preciosa morte redemptos
Viuere, caelestes & secum carpore fructus
Ut videant tunc quanta sui sit gloria Regni.
Ergo omnes iusti, caelesti sede recepti,

Sub

Sub pedibus terræ tractus, acheronta videntes
Insuetum solium, rutili templa aurea cœli
Admirabuntur gazas, non antea visas.
Cœlestis Solymæ fulgentia Iaspide claro
Mœnia, totam urbem gemmis auroq̄ nitentem
Læticia immensa, magna & dulcedine capti
Aspicient, vultusq̄ suos mutasse priores.
Cœlos & terras, horum amplumq̄ Amphiteatrum
Perpetuò sine nube & nocte, nitore coruscum
Admirabuntur naturæ & cuncta creatæ
Assumpsisse novos habitus, formasq̄ decentes.
Magna, noui iustis pariet tunc fabrica mundi
Gaudia, nam quamuis hoc tempore terra polusq̄
Pannus vt attritu veterascens, tota perire
Cogantur flammis exusta in fine supremo:
Attamen hæc meliore iterum reparata figura
Alepra mundata sua, & squalore per ignes
Tunc apparebunt tam pulcro schemate, quale
Vix habuit mundus prima viridiq̄ iuuenta,
Quando crearetur stirps nostra in vere recenti,
Mente DEO similis, forma speciosus Adamus
Pulcrior orbis erit posthac, cœlestis Adamus
Hortos instruxit nobis sine fine virentes,
Hortus erit Domini bene consitus orbis hic ingens,
Nulla aconita feret tellus, steriles nec auenas
Sentes aut tribulos, dumos, syluestria poma,

D

Nulla

Nulla ibi nascentur gustu referentia acetum,
Sed quæ plus vincant nostratia aromata cuncta,
Pulcra colore sapore & odore & viua vigore.
Non marcescentes producet terraq; flores
Ornatu pulcro, vulgò nascetur Amomum,
Pulcra etiam in campis pictis florentibus herbis
Seruata æterua ludent animalia pace,
Cum nitidis vndis erit aurifer omnis & amnis
Multus vbiq; Tagus fuerit Pactolus & Hermus.
Hisce creaturis memoratis turba piorum
Sese oblectabunt, animos & lumina pascent.
Hæc ea quæ cecini tenui modulatus auena
De vita æterna verbis puerilibus vsus,
Qui verè puer ac infans sum rebus in illis
Humani ingenij vires, & flumina doctæ ac
Humane longè superantibus omnia lingua.
Nil minus interea meditari hæc pectore prodest,
Innumeros siquidem talis meditatio fructus
Gignit, Nam quæ sint hominis bona summa monemur,
Ad quæ conatu summò natura paranda
Præcipuè ferri debet, quæ pluris haberi
Quam regalis honor, quam regum munera debent,
Quàm nitidi argenti ac fului auri magna talenta
Est & quicquid opum, quàm vana est gloria mundi,
Quàm dubie sortis subitò rota deuia vertit,
Quàm citò vanescunt vmbrose somnia noctis,

Tam

Tam plerunq; solent spes hæc vanescere, vanis
In rebus positæ, facili quàm turbine moto
Ingentes perturbat opes, sors aspera & aufert,
Ante igitur veris opibus quis ponere falsas
Et fluxas mallet? nisi planè insanus & amens
At multos tales hodie reperire licebit
Æsopi Gallo similes, cui forte repertus
In fimo putido, non sic fuit vnio splendens
Charus, triticeum vt granum curuo ore voratum.
Nomina qui gerimus præclaro à nomine Christi,
Qui lucis nati generati à luce, vocamur
Non sic immerfi terreno in puluere simus,
Non terrena magis nos quàm cœlestia amemus.
Hac humili in terra mentem iungamus Olympo,
Et cœlo in pulcro cœlestia dona reposita
Quæramus cupidè studio sine fine fideli,
Omnis in his omni stet nobis tempore cura,
Vtq; magis possint sursum se corda leuare,
Et fidei vt spei cœlo volitantibus alis
Danda opera est nobis, vt sint hæc sobria, casta,
Sancta, sinant cœno viciorum neuè grauari.
Nam vitæ quemcunq; fouet spes alma futuræ,
Is se sanctificat, vitans contagia caute,
Ne peccatorum tam fœda exempla sequatur.
Est pius in mundo peregrinus & aduena verè,
Mundus at hospiciū est infidum plena taberna.

Fraudibus & rixis & cædibus atq; rapinis,
Ac multis alijs, scelerum est sentina malorum.
Sit pius ergo magis prudens, prudentia mores
Recta regat semper diuinæ ad legis amussim.
Lex sit in his tenebris vitæ fax præuia lucens,
Luce sua, splendore suo, quæ monstrat eunti
Directum pietatis iter, ne tramite aberret,
Et cadat in præceps planta titubante viator
Per vallem densis nebulis umbrisq; refertam,
Optatæ patriæ tendens cœlestis ad oras.
Interea licet obijciat spectra horrida dæmon.
Ut terrore pij conturbet pectus honestum,
Exanimetq; metu, spem vitæ & deleat omnem:
Non tamen ipse pius terreri se patiatur,
In medijs tenebris diuini lumine verbi
Se consoletur, spe vitæ seq; futuræ
Erigat, auroram sic vitæ in pectore habebit,
Donec clara dies, oriatur nocte fugata.
Cumq; pio in mundo sint multa aduersa ferenda
(Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in cœlum) tumq; hæc quoq; pectore forti
Munitus suauis sancti solamine verbi
Perferat & constans maneat, per saxa per ignes
Viua ruit, penetratq; fides, dura omnia frangit:
Nam fidei est adiuncta comes patientia sancta
Quis non ferre velit mala tot tantosq; labores?

Hac

Hac ratione sciens post nubila tempora luctus
Exoritura statim venturae gaudia lucis,
Qua dolor & tristes curae, durique labores
Cessabunt penitus sublatis, & mœsta querela
Versa erit in choreas, Borea hic efflante procellas.
Qui sua cum lacrymis sparserunt semina abortis
Postea messuri sunt læto carmine onantes,
Cum formosa æstas aduenit & aurea Messis
Æternæ vitæ, cuius numerare manipulos
Hic aliquos volui monstrare in carmine aristas.
Huius spe Messis faciamus cuncta libenter
Quæ facere ipse DEVS nos vult, nil seua pericla,
Nil tempestates aduersas sortis iniquæ,
Nil rabiem Sathanae, mundi, mortemque moremur.
Non procul hinc aberit perfecta redemptio nostra,
Clara dies nobis æternum Pascha reducens
Post vitæ tenebras se claro proferet ortu.
Nostra ea quæ nunc est in Christo abscondita vita
Tunc apparebit, tunc Christi gloria clarè
Coram cernetur, magnam allatura beatis
Læticiam, ac ipsis non regia gloria deêrit,
A Domino ornatis non marcescente corona.
Nil quicquam deêrit cælorum hæredibus vnquam.
Spe multo potiora ferent, maiora petitis.
Nam sibi dum proprium Dominum elegere parentem,
Omnia sunt habitura omni bona commoda sæclo,




*Ad quæ quid mundi bona sunt collata, quid omnes
Diuitiæ, immensæ, nisi quæ citò præterit umbra.
Quare vanarum, rerum ludibria mundi
Fastidire decet, præq; his cœlestia amare
Gaudia, quæ certè verissima gaudia habenda,
Hæc summis votis, desiderioq; frequenti
Nos affectemus communi & voce loquamur
Cum diuo Paulo, cupio discedere vita
Ex hac mortali, qua multa ego tristia passus,
A ceruice iugum mihi sumi exopto, simulq;
Viuerè cum Christo, mihi nil contingere maius
Aut melius poterit, Christus mea vita meum cor.
Talia cum Paulo iungamus vota precesq;
Assidue vt verbi diuina ita luce regamur
Flaminis & sancti radijs, vt viuerè sanctè
Possimus, placidèq; mori, vitaq; potiri,
Vera vbi erit requies æternaq; mansio nobis
Post hanc tam miseram vitam nimiumq; fugacem.*



H Y M.

H Y M N V S
D E V I T A Æ T E R N A.
C A N I P O S T E A D E M M E L O D I A,
Q V A I N F E R I I S P A C H A E
V i t a s a n c t o r u m.

 *CHRISTVS* ex orco superas ad oras
Vivus & saluus rediens, triumphum
Nunc agens lætum, spolijs tot amplis
Victor onustus.

Morte devicta, sathanaq; capto
Ianuis Orci, valide reuulsis
Atq; destructis, reserauit ipse
Limina vitæ.

Vt fores cœli nitidi paterent,
Que statim nobis fuerant Adami
Propter horrendum, miserumq; lapsus
Antea clausæ.

Est novæ vitæ reparator, autor
CHRISTVS vt mortem moriens necavit,
Sic resurgendo preciosa vitæ
Dona paravit.

Publicè toti finit illud orbi
Per suum Verbum fieri inde notum,
Quod vias vitæ in tenebris, corusco
Lumine monstrat.

Vita.

Vita quæ Christi merito est parata,
Et datur verbo bonitate patris.
Non fugax umbra est, nec ut ista mundi
Plena malorum.

Per fidem in Christum sibi quisq; vitam
Comparat veram stabilem, manentem,
Quæ solet secum, comitante pace
Gaudia ferre.

Vera non falso simulata fucō
Tincta non vllō, violanda nulla
Sorte prædura, aut aliqua senecta,
Morte nec vlla.

Et licet iusti moriantur omnes,
Attamen rursus tumulis resurgent,
Et DEI vultum liquido videbunt
Gaudio ouantes.

Ex DEI vultu, velut vnda plenis
Vita demanat sine fine riuīs,
Fons inexhaustus Deus est bonarum
Læticiarum.

Sunt voluptates apud hunc perennes,
Quas sua dextra Dominus fideli
Diuidet sanctis, radijs repletis
Numinis eius.

Audient

*Audient sancti Dominum loquentem,
Suauibus verbis mera verba vitæ,
Inter & sese lepido ore spargent
Aurea dicta.*

*Angelis facti similes beatis,
Iuncti eis laudes Domino Deoq̃,
In choro cœli resonante suavi
Carmine pangent.*

*Hic status vitæ fuerit futuræ,
Pinxit vt talem velut in tabella
Dauidis vatis pia, docta, dulcis
Psaltria Musa.*

*Christe post vitæ tenebras fugacis
Nunc diem æternæ finito exoriri
Lucis, vt tecum celebremus omne
Pascha per æuum.*



E QVE

Q V E R E L A E T P I A
P R E C A T I O A D F I L I V M D E I,

V T I N H A C V E S P E R A E T S E N E C T A

mundi & Ecclesiae, nobiscum maneat,

Lucae 24. & Psal. 71.



*Era senescentis iam venit vespera mundi,
Sol rubet hesperias iam subiturus aquas.
Ad properat fuscis nox intempesta tenebris.
Clara dies capit cedere luce sua.*

*Iam senio longo confecta Ecclesia languet,
Deficiunt vires corporis ac animi.
Decessit viridis, fortis, formosa iuuenta,
Aduenit gelida cana senecta niue.
Ipsamet, est morbus, morbis comitata senectus,
Et pro flore bono nil nisi crimen habet.
Externè vt visus, oculi sic mentis hebescent,
Vt mens est pueris sic etiam est senibus.
Eheu quanta seges succrescit ubiq; malorum,
Fine sub hoc mundi quàm scelus omne viget.
Ingrati quàm sunt homines pro lumine verbi,
Quantum odisse solent lumina clara, mali?
Præcones verbi ceu fœda catharmata mundus
Odit, & infestat pro feritate sua.
Hinc iustam nimium D E V S inflammatus ad iram,
Immittit pœnas punit & hisce malos.*

Sæpe

Sæpe sinit cultis segetes sterilescere in agris,
Et super ingratos, bella luemq̄ vocat.
Doctores falsos, doceant qui dogmata falsa
Maiorem in pœnam sæpe venire sinit.
Ergo locis in tam multis, caligine magna
Relligio premitur, nox tenebrosa oritur.
Splendore amisso verbi, nox regnat ubiq̄
Hæresis & multum pectora noctis habent.
Quàm deformatur pròh sancta Ecclesia rixis?
Quàm lacerant Christi nunc & ouile lupi?
Pressa malis varijs quàm Christi Sponsa gemiscit,
Cui fine in mundi longa senect̄a nocet,
Sunt fidei infirmæ vires, dilectio friget,
Est etiam ad lapsus prona ruina graues.
Non tale est robur tam magna pericla ferendi,
Martyribus sanctis antea quale fuit,
Sæpe malis leuibus cedit patientia victa,
Qui maneat constans in cruce rarus is est.
At tu CHRISTE tuæ Sponsæ nunc suscipe curam,
Neue senem factam deseruisse velis.
Quin potius serua veluti promissa dedisti,
Ipse senescentem motus amore feram.
Neue etiam à nobis migra, dum vespera nigra
Ingruit, in tenebris neue relinque tuos.
Noster es Emanuel, noster charissimus es tu
Frater, ob id nobis CHRISTE benigne faue.
E 2 Nobiscum

*Nobiscum sine fine mane, dum vespera tristes
Induxit fletus, gaudia mane refer.
Nubila corda tui verbi splendore serena,
Exhilara auxilio, nos tua membra precor.
Ne tua laus pereat, radiantia lumina verbi
Extingui in nobis ne patiare tui.*

**SEQVITVR CONFES-
SIO ET PRECATIO PRO CON-
SEQVENDA REMISSIONE PECCA-
torum, quam sequitur vita aeterna.**

P*se ego nunc tunsis sine fuco ad pectora palmis,
Crimina confiteor qui colit astra DEO.
Omnia qui cernit, qui iudicat omnia facta,
Iusticiae plenus, nil nisi iusta probans.*

*Voce sua Dominus scelera arguit, ac ea punit
Tot grauibus pænis, nam grauis ira DEI est.
Me nunc quanta premunt, commissa piacula vite,
Mentem, animum, scelerum sarcina quanta grauat?
Quàm miser iniuste feci? sum turpis alastor,
Mens mea pœnarum præuia signa videt.
Attonita illa pauet, terrores atq; dolores
Sustinet horrendos, incutiente DEO.
In me quàm tristis legis sententia fertur,
Lex in me tonitru fulmina seua iacit.*

Antea

Antea viuebam securus & impius, in me
Ocia promittens blanda veteris erat.
Ast nunc excussit legis tuba clara veterum,
Dormire in lecto non mea culpa sinit.
Agnosens scelerum sordes, turpissima facta
Propterea doleo, confiteorq; palam.
Orno ego non folijs fici, mea crimina Adami
Excusare etiam non ea vt ante volo.
Poenitet atq; pudet scelerum, confusio vultus,
Iam mihi magna venit, pallor in ore sedet.
Quocunq; aspicio, videor mihi cuncta creata
Iraſci, læſit dum mea vita **DEVM.**
Ante oculos nigrae versatur mortis imago,
Ceuleo me Sathanas dilaniare studet.
Terribiles Orci flammæ, faucesq; capaces
Me terrent, gelidus concutit ossa pavor.
Nulla datur requies misero, vix lumina claudo,
Excruciat pectus sollicitudo vigil.
Conscia mens scelerum dum facta est saucia languet,
Consternata iacet fulmine tacta graui.
Quo fugiam vt possim requiem reperire laborum
Spes veniæ vnde mihi est, vnde petenda salus?
A Domino irato fugiam ad facilemq; bonumq;
Illius ira breuis, gratia longa manet.
Qui me percussit me sanum reddet is idem,
Mortificet quamuis viuificare potest.

*Ægræ animæ vires collapsas erigit ille,
Cælesti sanat vulnera cordis ope.
Hunc ideo accedam Medicum, spe pectora plenus,
Non mea me fallat spes, nec inanis erit.
Christe Dei fili, Iesse præclara propago,
Æterni rutilans splendor imago patris.
Vnice Saluator noster mundiq; Redemptor,
Est cuius merito vera parata salus.
Ad te confugio supplex lacrymis, precibusq;
His rogo te flecti, Christe benigne sine.
Respice propicio vultu peccasse fatentem,
Oranti veniam supplice voce faue.
Tu Magdalenam flentem nimiumq; dolentem,
Quod sua polluerat membra libidinibus
Respexisti oculis cernentibus intima sensa,
Internamq; fidem quæ tibi Christe placet:
Dum te cœnantem fragranti aspergine Nardi
Perfudit capitis tempora sacra tui,
Cum lacrymis lauit, flauis tersitq; capillis,
Ore tuos etiam est quos venerata pedes:
Signa sui ardentis statuit quia fœmina amoris,
Hanc tuus absoluit magnus amanter amor.
Tu Petrum, Cayphæ te quando negaret in aula
Ancillæ trepidus paucula verba timens,
Cum deploraret tristis sua crimina lapsus,
Miti aspexisti lumine CHRISTE tuo.*

Te

Te prope suspensum, ferali in stipite, dextrum
Latronem, amplexus tu bonitate tua es.
Huic misero latroni animam sub dente tenenti,
Se conuertenti sero in agone suo,
Tu Paradisiaci reserasti limina Regni,
Qui dignus fuerat regna habitare stygis.
Sic miserere mei simili ratione, modoq̄,
Christe mihi lapsa, porrige quæso manum.
Erige me virtute tua, peccata remitte,
Hæc veluti nebulam discute luce tua.
Cuncta maris peccata vndis submerge profundis
Me tua, cœlesti, gratia, rore, riget.
Me, cuius peccata rubent ceu purpura tincta,
Vt mundus fiam lana vt munda, laua.
Da vires animæ fessæ, solatia præsta,
Cor recrea viuo flamine triste tuo.
Fumantis lini, noli in me extinguere fila,
Quassatum calamum frangere neue velis.
Quosq̄ laborantes & onustos mole laborum,
Ad te iucunda voce venire iubes.
Spem facis, affirmans sanctè, venientibus vltro:
Quiq̄ ferunt secum pectora plena fide,
Illorum esse refecturum te corda animasq̄
Arentem reficit ceu tener imber humum.
Ergo ego nunc venio, venientem suscipe Christe,
Te mea mens quærit, te quoq̄ anhela sitit:

Vt

Vt ceruus sitiens absentes mugit ad vndas,
Ignea sedari possit vt inde sitis.
Tu fons es vitæ, viua scaturigine manans,
Ergo sitim poteris tu releuare meam.
Es verus Medicus cœlestia pharmaca præbens,
Qui morbum verbo pellere quemq; potes.
Me recipe & leni quos sentio corde dolores,
Sana animæ morbos vulnera hiulca liga.
In te credenti clementer dona salutis
Æternæ dona pro bonitate tua.
Iusticia ceu veste noua, meq; indue & orna
Naturæ, hæc, sordes, crimina cuncta, tegit
Hæc mihi morte tua est & fuso sanguine parta,
Me solum iustum mors tua Christe facit.
Mors tua vita mea est, qua gloriator atq; triumpho,
Hinc animæ crescunt gaudia magna mea.
Nunc anima, ô mea plaude tuasq; recollige vires,
Ipsamet ad requiem, libera facta redi.
Namq; tibi Dominus benefecit, teq; redemit,
Vt viuas ipsi non moritura DEO.
Te Domini in laudes anima ô mea chara resolue,
Huic suauis grates carmine grata refer,
Immemor haud vnquam tantorumq; esto bonorum,
Assidue illorum te meminisse decet.
Ex bonitate sua magna, tibi magna remisit
Peccata, ô summi est gratia quanta DEI.

Nunc

Nunc quæcunq; offert anima hæc libamina laudum
Accipe, & illa sinas Christe placere tibi.
Ipse ego laude feram celebri tua nomina in orbe,
De te narrabo, te celebrabo **DEVM.**
Vt vitæ lapsus, prudenti mente cauebo
Quantum possibile est, me bone Christe iuua.
Me rege in his tenebris, tua lex æterna meorum
Sit laterna pedum, quæ mihi monstret iter
Consilia & vitæ mores, opera omnia honesta,
Me totum, sanctus spiritus ille regat.
Vt vigili studio pietatem tempore quouis
Sæcter & hæc faciam quæ tibi sola placent.

PRECATIO IN VLTIMO AGONE, PRO FOELICITATE DISCESSV EX HAC VALLE ærumnarum ad vitam æternam.

M Ora meæ quoniam nunc venerit vltima vitæ,
Cogar & ipse Dei lege iubente mori.
Alloquor extremum moriens in agone supremo
Te Christe, ô verè spes mea, vita, salus,
Ad te pallenti conuerto lumina vultu,
Ad te tendo meas suplice voce manus.
Ardenti gemitu, credenti & corde precando,
Ergo preces audi, ferq; misertus opem.

F

Ipse

*Ipse laboranti toties mihi prestò fuisti,
Vita fuit multis dum mea pressa malis.
Nunc etiam mihi adesse velis bonitate paterna,
Præsenti auxilio, cum moriturus ero.
Pelle malos genios furua fuligine nigros,
Ne mihi quid noceant incutiantq; metus.
Cinge tuum famulum sanctis custodibus illis,
Præsidio angelico me tua dextra tegat.
Neve metu exanimer quando obuersatur ocellis,
Mors truculenta arcum diraq; tela gerens.
Me recrea viuo, suavis, solamine verbi,
Et paruae fidei robora magna dato.
Firmiter vt credam, me per te Christe redemptum,
Morte tua immerita, vulneribusq; tuis.
Tu moriens sæuæ, fregisti spicula mortis,
Miro congressu, Marte tuo proprio.
Et tumulo surgens, vitæ reparator & autor
Factus es, ingressus limina celsa poli.
Ad dextram patris residens es vbiq; potenter,
Iustorum exaudis tam placida aure preces.
Suscipis horum animas, cœlesti & sede reponis,
Vt Stephani nobis hæc satis acta probant.
Nunc lassum curis, fessum certamine longo,
Pertæsum vitæ, per mala multa solo.
Me sine tranquilla placidè obdormiscere pace,
Me suauis amplexu, Christe benigne foue.*

Trado.

Trado animam hanc dextræ virtute fideq̄ valenti
Nota mihi est bonitas, & tua nota fides.
Tu me saluasti damnatum, me reuocasti,
Ex stygijs antris ad tua regna Deus.
Nunc veluti Ionam balæna absorbuit in se,
Sic mors hoc corpus deuoret ore suo.
Quæ solui vt possint, olim compacta fuere,
Soluere mors pergat corporis ossa mei.
Non mihi mors grauis est posituro morte dolores,
Omnes ærumnas finiet illa meas.
Non mihi pestis erit, non damna hæc inferet vlla,
Sed mihi lucri instar, præmia magna feret.
Ipse oculis tenebras patiar patienter oriri,
